

— 196 —

PROBLEMAT A
EX

DOCTRINA SPHAERICA.

Auctore

F. T. SCHUBERT.

Conventui Acad. exhib. d. 9 Apr. 1798.

§. I.

Data linea recta tanquam base trianguli plani, laterumque reliquorum summa, vel differentia, vel relatione, locum apicis trianguli priore casu esse ellipsin, altero hyperbolam, tertio circulum, constat. Facile autem praevidere licet, eadem problemata ad sphaeram accommodata perductura esse ad solutiones non minus elegantes, siquidem inter triangula plana atque sphaerica tanta intercedit similitudo et affinitas. Primum quidem casum sphaerae applicatum, seu problema, data base trianguli sphaerici laterumque reliquorum summa invenire locum verticis, jamdudum examini subjecit celeberrimus noster Academicus *Fuss*, reperitque ellipsin sphaericam, cui cum ellipse Apolloniana plurimae insignes proprietates sunt communes (*V. Nova Acta Acad. Sc. Imp. Petropol. Tom. III. pag. 90*). Problema alterum perpendenti, ubi basis trianguli sphaerici et certa quaedam binorum crurum relatio datur, theoremata nonnulla se mihi obtulerunt, quae accura-